

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110**

Exercitationes theologicae - Ettenheim-Münster 109 - index omnium in  
univ. theol. 4 tomis distincta contentarum

**Cartier, Gallus**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Exercitatio XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-111021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-111021)

convenit alicui substantie per se, nequit impediri ab eius proprie-  
tate. Unde si quantitas impedit immediatum contactum substan-  
tia corporea ad locum, signum est substantiam illam non esse pa-  
ximam rationem immediate effendi in loco.

Confirm. Quando aliquid competit alteri per se, ab eo nequit oriri im-  
pedimentum, ne illud consequatur. Cum igitur quantitas oriatur ex  
Substantia materiali, sic esse nequit impedimentum, quominus  
Substantia immediate contingat locum, si hoc illi per se compe-  
tat.

237. Contra responsionem ad Argumentum 3<sup>um</sup> est, quia quanti-  
tas virtutis, que tantum est secundum perfectionem substantie,  
pertinet ad ordinem effendi. Atqui quod pertinet ad ordinem effendi  
in rebus ~~corporeis~~ incorporeis, illud non habet de se connexionem  
cum loco corporeo, alioquin ei esset Subiectum, ut potest ab eo de-  
pendens, quod tamen non admittitur. Nec officit, quod con-  
tactus iste, quo Angelus tangit locum, sit metaphoricus; nam quan-  
vis huiusmodi sit, nihilominus tamen debet sibi subordinare locum,  
quod fieri nequit per quantitatem virtutis, que est secundum  
perfectionem substantie, sed tantum per operationem virtua-  
liter transeuntem.

238. Denique contra responsionem ad Ultimum Argumentum est,  
quia si per actum imperii intelligatur ratio formalis effendi  
in loco, tunc Adversarii incidunt in Sententiam S. Thomae;  
si vero dicatur, quod huiusmodi applicatio per actum impe-  
rii se habeat ut conditio sine qua non; tunc contra est, quia  
non potest conditio sine qua non, quantumcumque variabi-  
lis, in eadem causa formali invariata, producere diversum  
effectum formalem; sic nisi varietur intrinsece nostra quan-  
titas, nunquam efficiet applicatio illius ut majorem vel mi-  
norem locum occupemus. Ergo p<sup>o</sup>.

\* Hanc Thomistas inter  
et Scotistas de Ange-  
lo ad locum compara-  
to controversiam  
atque nostris iudicio  
admodum inutilem,  
nec non falsis et ab-  
surdis omnino prin-  
cipiis imixtam, mul-  
taque in super ver-  
borum barbarie con-  
fectam hic ex scrip-  
tionibus R. C. Har-

mani Cartier nostri  
p. m. attexere pla-  
uit; et saltem cu-  
riose forte Lectori  
nostro Stylum, et  
methodum, quibus q. 6. a. 3. ex professio inquit, utrum voluntarium possit esse  
horum Scholasticis-  
rum plerique vanas  
tat, ac deinceps objecta solvit. En illius verba: Volunta-

#### Exercitatio XIV.

De voluntario indirecto, seu de omissione  
voluntaria sine omni actu.

Ad

Cap. 1. §. 2. num. 55. Tract. 1. Theol. Univ. To. 3.

Quaestio voluitur inter Theologos an sit possibilis libera  
omissio pura, hoc est, an voluntas possit aliquam actionem  
omittere voluntarie et libera, quin actum aliquem positi-  
vum eliciat, qui omissionem illam seipsam libertatis cer-  
titium constituat.

§. I.

240. Proponuntur ac Solvuntur Argumenta affir-  
mantium possibilem esse omissionem liberam  
absque omni actu.

Argumentum 1<sup>um</sup> suppeditat nobis S. Thomas; nam 1. 2.  
absque omni actu; responditque affirmative, necnon pro-  
rum plerique vanas  
tat, ac deinceps objecta solvit. En illius verba: Volunta-

7. 69.  
p. 215.

rum potest esse absque actu, quandoque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, sicut cum vult non agere, ali-

quando autem et absque actu interiori, sicut cum non vult.

Præterea q. 71, a. 5. sic concludit: Unde verius dici potest, quod aliquod peccatum possit esse absque omni actu.

Resp. Ad Angelicum Doctorem tantum velle, quod omnis voluntaria possit quidem poni in homine sine omni actu, qui sit de illius essentia, et ei per se jungatur, non tamen sine actu, qui ei jungatur per accidens, seu qui sit causa vel occasio illius.

Argumentum 2<sup>um</sup> et fundamentale. Omne liberum est volentarium. atqui potest dari liberum sine omni actu positivo voluntatis. Ergo et voluntarium. Maj. constat. Min. prob. De ratione liberi libertate contradictionis est agere vel non agere. Atqui non agere potest haberi absque omni actu positivo voluntatis per solam actus suspensionem. Ergo p.

Resp. Libertatem contradictionis haberi per hoc, quod voluntas possit agere vel non agere, id est, bonum amare vel non amare, omittendo tamen amorem non pure sed actu positivo, sive volendo amorem, sive volendo notionem amoris, sive volendo statum, in quo non possit amare, puta volendo bonum.

Argumentum 3<sup>um</sup> Voluntas prout libera libertate contradictionis est indifferens per modum actus primi ad actum secundum et eius omissionem. Ergo licet per actum secundum illius indifferentia exercetur, et de actu primo reduitur formaliter ad actum secundum; ita etiam per omissionem determinari potest, et de actu primo sua indifferentia transire ad actum secundum.

Resp. ut prius, licet, quando dicitur voluntatem esse indifferentem ad actum et eius omissionem, sensum non esse, quod sufficiat indifferentia ad liberum exercitium et ad negationem illius, sed ad exercitium liberum circa esse huius actus, nimirum amoris, ut effectus: et quia esse et non esse amoris sunt contradictoria, hinc talis oppositio dicitur libertas contradictionis, non obstante, quod præsupponatur actus, qui sit causa illius omissionis.

Argumentum 4<sup>um</sup> Nulla apparet implicatio, quin possit voluntas circa objectum creaturæ sufficienter propositum nullum elicere actum, neque positive volendo, neque positive nolendo, sed negative se habendo. Atqui huiusmodi non agere erit voluntarium, cum non minus liberum sit voluntati ipsum non agere, quam agere. Ergo p.

Resp. Quæ implicatio esse, quia voluntas nequit esse absque omni actu. Unde hoc ipso, quod suspendat actum circa unum objectum, necessarius elicere debet actum circa aliud objectum, qui actus, cum impossibile sit cum actu præcepto, suspensio ipsa actus præcepti dicitur voluntaria indirecte ex actu positive impossibilem cum actu præcepto.

Argumentum 5<sup>um</sup> Urgente præcepto dilectionis Dei potest quis advertens suam obligationem obviandi cum actu, suspendere

hujusmodi et inanes  
questiones pertracta-  
re et exarare conue-  
verunt, exhiberentur.

8. Col.  
p. 216

omnem actum, quod vel preceptum impleat, vel precepti impletionem impediatur. Atqui tunc ommissio haec erit peccaminosa; consequenter voluntaria et libera. Ergo p. Major. constat ex libertate voluntatis, quae ratione dominii, quod habet in hunc actum, potest aliquem actum elicere, vel nullum omnino.

Verum Argumentum hoc non differt à priori, unde ad illud eadem est responsio. Resp. proterea in casu Argumenti voluntatem non posse suspendere omnem actum voluntarium, sed à fortiori debere tunc elicere actum aliquem non quidem hunc aut illum determinate, sed aliquem actum vagè et indeterminate circa aliquod objectum, qui actus erit occasio illius omissionis. Addunt non esse inconveniens, quod voluntas sit determinata ad eliciendum actum vagè, et nihilominus sit libera ad quemcumque actum in particulari.

§. II.

245.

Proponuntur ac Solvuntur Argumenta negantium  
possibilem esse omissionem liberam absque omni  
actu.

Argumentum <sup>num</sup> petitur ab auctoritate S. Thomae hic q. 21. a. 9. dicentis: Si intelligatur in peccato omissionis illud solum, quod per se ad rationem peccati pertinet, est sine omni actu exteriori, vel exteriori; si vero in peccato omissionis intelligantur causa vel occasio- nes omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse. Sensus est huius textus, quod licet ommissio quae talis ex natura omissionis non requirat aliquem actum sui constitutivum, requiratur tamen aliquis actus ex parte operantis ad hoc, ut ipsi sit voluntaria, qui actus sit causa vel occasio voluntaria omissionis.

Ante resp. Not. ex eodem S. Doctore loc. cit. plerumque, non tamen semper, contingere, quod in peccato omissionis seu voluntaria omissione inveniantur aliquis actus positivi, qui sit causa vel saltem occasio omissionis voluntaria, ut cum quis tempore, quo obligatur audire Sacrum, velit ludere aut dormire, qui actus positivi, scilicet ludus vel somnus, est causa et occasio, propter quam omittitur Sacrum. Quando ergo huiusmodi actus positivi interveniunt, tunc etiam libenter conceditur omissionem illam voluntariam absque actu non esse; verum de hoc non providere videtur praesens questio, sed de illo solum, an scilicet pura actus ommissio, id est, talis, quae neque causam neque occasionem omittendi habet, possit esse voluntaria? Et de hoc loquitur prior pars textus à S. Thomae adducti: Si intelligatur in peccato omissionis id solum, p. ubi aperte non dicta confirmat. Unde in forma

Resp. conc. textum. neg. tamen ejus explicationem, et cons. Longè clarius rem explicat S. Thomas, cum loc. cit. subjungit: Unde verius dicendum est, quod aliquod peccatum possit esse absque omni actu.

246. Argumentum 2<sup>um</sup>. Quod procedit à voluntate, procedit per actum voluntatis. Atqui voluntarium procedit à voluntate, prout prius dictum. Ergo p. Subs. Sed quod procedit à voluntate per actum voluntatis, non potest esse à voluntate sine actu voluntatis. Ergo voluntarium non potest esse sine actu voluntatis.

Ad hoc Argumentum respondet ipse S. Thomas q. 6. a. 3. ad 1. his verbis:

Dicendum, quod voluntarium dicitur non solum quod procedit à volun-  
tate directè sicut ab agente, sed etiam quod est ab eà indirectè  
sicut à non agente. Hinc in formà

Resp. Dist. maj. Quod procedit à voluntate directè tanquam à volunta-  
te agente, p. conc. Quod procedit indirectè tanquam à voluntate  
non agente, et nonnem actum suspendente, p. neg. maj. p.

P.E. p. 217.

Inst. 1.º In tantum aliquid est voluntarium, in quantum est voli-  
tum, cum voluntarium sit objectum voluntatis. atqui nihil est  
volitum sine actu voluntatis. Ergo etiam nihil est voluntarium  
sine actu voluntatis.

Resp. Dist. maj. ut prius. In tantum aliquid est voluntarium di-  
rectè, in quantum est volitum, conc. In tantum aliquid est vo-  
luntarium indirectè, in quantum p. neg. maj. p. Voluntarium  
indirectè, seu quod habetur per suspensionem actus non  
est quid volitum, sed est quid non volitum, quod proinde, ex di-  
ctis, haberi potest sine actu voluntatis.

Inst. 2.º Hinc sequeretur, quod non velle esset voluntarium,  
atqui hoc est falsum; non velle enim facit involuntarium. Ergo.

Resp. Neg. min. et ejus prob. vel Dist. Non velle positivè, id est,  
velle facit involuntarium, conc. Non velle negativè, neg. min.  
Vel iterum aliter, Dist. Non velle facit involuntarium id, quod  
est contra illud non velle, conc. Facit involuntarium id, quod  
est secundum illud non velle, neg. min. p. Quis enim volun-  
tariè possumus non velle, quam velle, prout aperte docet S.  
Thomas q. 71. a. 5. ad 2. ubi ait: Dicendum, quod aliquid di-  
ctur voluntarium non solum, quod cadit super ipsum actum  
voluntatis, sed quia in voluntate nostrà est, ut fiat, vel  
non fiat. Unde etiam ipsum non velle potest dici volunta-  
rium, in quantum in potestate hominis est velle et non velle.

Inst. 3.º Quod voluntario contradictoriè opponitur, id non  
est voluntarium, sicut quod albo contradictoriè opponitur, non  
est album; alias contradictoria verificarentur de eodem;  
idem enim foret voluntarium et non voluntarium, idem quoque  
esset album et non album. atqui non velle contradictoriè  
opponitur voluntario. Ergo p. Prob. min. Non velle con-  
tradictoriè opponitur ipsi velle. Sed velle est voluntarium,  
cum sit à voluntate cum cognitione. Ergo p.

Resp. conc. maj. et Dist. min. Sed non velle independenter  
à cognitione et voluntate contradictoriè opponitur volun-  
tario, conc. Non velle dependenter à cognitione et volun-  
tate contradictoriè opponitur voluntario, neg. min. Volunta-  
rium, ex dictis, est, quod dependet à voluntate cum cogni-  
tionem. Ergo ejus contradictorium seu non voluntarium est  
id, quod non dependet à voluntate, p. Hinc ad equivoca-  
tionem cavendam notandum est, quod aliquid possumus non  
velle dupliciter: uno modo non volumus id, cuius ne quidem  
cognitionem habemus, seu quod nobis. inscius fit aut fac-

tum est, et sic est non voluntarium, velut adulterium Davidis, de-  
collatio Joannis, p. Altero modo non volumus id, quod licenter et vo-  
luntarie omittimus, prout in nostro casu contingit; et sic non velle  
est voluntarium.

Inst. 4<sup>o</sup>. Velle et non velle sunt contradictoria, etiamsi utrum-  
que à cognitione et voluntate dependeat. Ergo si unum est volunta-  
rium, alterum non erit voluntarium. Subs. Atqui velle est volun-  
tarium. Ergo non velle est non voluntarium. Resp. cons.  
ant. et neg. cons.

247. Argumentum 3<sup>um</sup>. Voluntatem omittere aliquid liberè, est  
illud omittere per propriam sui determinationem, sive per elec-  
tionem; in hac enim determinatione et electione situm est exer-  
citiium libertatis. Atqui hoc determinatio et electio est actus.  
Ergo voluntas nihil potest omittere sine actu.

Resp. Dist. maj. Voluntatem omittere aliquid liberè, est illud  
omittere per propriam sui determinationem vel directam vel  
indirectam, cons. semper directam, neg. maj. et Dist. min. De-  
terminatio directa est actus, cons. indirecta, neg. min. Directa  
est, quando voluntas se positivè determinat ad aliquid; Indirecta  
verò, quando non se ad unum directè determinando coipso se ad  
ejus omissionem determinat. In ejusmodi autem determinatione,  
ut per se patet, non est actus.

248. Argumentum 4<sup>um</sup>. Si omnis pura actus sine omni voluntatis  
actu esset voluntaria, tum etiam peccatum posset esse absque om-  
ni actu voluntatis. Atqui hoc est falsum. Ergo p. Prob. min.  
Si peccatum posset esse absque omni actu, tum ille peccaret,  
qui cessaret ab actu debito et præcepto, s. g. ab auditione Missæ,  
atque sic, nisi quis semper audiret Missam, semper peccaret.  
Atqui hoc esset absurdum. Ergo p.

Resp. S. Thomas hic q. 71. a. 5. ad 3. his verbis: Dicendum, quod  
peccatum omissionis contrariatur præcepto affirmativo, quod  
obligat semper, sed non ad semper; et ideo solum pro tempore  
illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo præceptum affir-  
mativum obligat. Unde in forma

Resp. neg. min. ad ejus prob. Dist. maj. Si peccatum posset  
esse absque omni actu, tum peccaret, qui ab actu præcepto ces-  
saret, quantum et in quantum præceptus est, cons. quantum  
et in quantum non amplius est præceptus, neg. maj. p.

249. Argumentum 5<sup>um</sup>. Si peccatum potest esse voluntarium  
absque omni actu, tum poterit quis peccare nihil agendo.  
Sed non potest quis peccare nihil agendo. Ergo p. Prob. min.  
Non poterit quis mereri nihil agendo. Ergo nec demereri.

Resp. neg. min. ad ejus prob. neg. cons. et part. Disparitatem  
assignat S. Thomas loc. cit. quod plura requirantur ad bonum,  
quam ad malum; nam bonum contingit ex integrâ causâ, ma-  
lum autem ex quolibet defectu; hinc potest quis peccare sine  
faciendo quod non debet, sive non faciendo quod debet, sed  
meritum non potest esse, nisi quis faciat quod debet, aut

512979

2. Col. p. 218

quod meritorium est. Unde ad meritum requiritur, ut honestas ipsa objecti intendatur propter se, alias enim non est actus virtutis, nec consequenter meritorius, quia virtus ex Aristotele est propter ipsam honestatem; nequit autem honestas objecti intendi propter se, nisi per actum positivum. E contra ad demeritum non est opus, ut malitia ipsa objecti intendatur; sed sufficit, si tantum privetur, et non impediatur per productionem actus debiti, p.

Argumentum 6<sup>o</sup> Si voluntarium posset esse absque omni actu, 250. tum posset fieri transitus ad contradictorium ad contradictorium absque ulla mutatione. Sed hoc est falsum, cum ipse transitus a contradictorio ad contradictorium sit mutatio ex philosophis. Ergo p. Prob. maj. Posset homo per solam omissionem ex non peccatore fieri peccator absque ulla sui mutatione; ut si quis iuxta precepto de audienda Missa Sacrum non audiat; sic enim erit peccator per solam omissionem Sacri, qualis tamen per eandem Sacri omissionem ante precepti obligationem non fuerat. Atqui sic fieret transitus a contradictorio ad contradictorium, nimirum a non peccatore ad peccatorem absque ulla mutatione; in utroque enim casu homo est non agens. Ergo p.

Confirm. ex communi Philosophorum axioma: Idem manens idem, semper facit idem. Atqui in utroque casu homo manet idem, scilicet omittens seu non agens. Ergo in utroque casu facit idem. Subs. Atqui in primo casu non facit peccatum. Ergo nec in secundo; vel si in secundo, ergo et in primo.

Resp. ad Argumentum Neg. maj. ad ejus prob. Dist. maj. Posset homo per solam omissionem ex non peccatore fieri peccator absque ulla sui mutatione physica, conc. absque mutatione morali, neg. maj. Licet homo entitativè et physice non mutetur, cum in genere natura idem homo permaneat; attamen per ejusmodi omissionem liberam mutatur moraliter seu in genere moris, in quantum nempe ex iusto mutatur in peccatorem.

3. G. 219.

Ad Confirm. eodem modo Dist. min. Atqui in utroque casu homo manet idem entitativè et physice, conc. moraliter, neg. min.

Argumentum 7<sup>o</sup> nunc Exercitium libertatis debet esse vitale - 251. tale, cum dependeat à potentia vitali. Atqui pura ommissio non est vitale libertatis exercitium, nisi fiat cum actu positivo voluntatis. Ergo p. Prob. min. Exercitium libertatis essentialiter est motus ab intrinseco, sed hic motus non salvatur per puram omissionem, nisi hoc fiat cum actu positivo voluntatis. Ergo p.

DE 19. 1. A

Resp. Dist. min. Sed pura ommissio non est vitale libertatis exercitium directum, nisi fiat cum actu positivo voluntatis, conc. Non est vitale libertatis exercitium indirectum, nisi fiat cum actu positivo voluntatis, neg. min. Exercitium ergo vitale libertatis positivum et per operationem elicitum non potest esse.

absque omni actu positivo, bene tamen exercitium suspensionis  
actus, et cujus ratio habetur per liberam non operationem. Ad  
prob. ejusdem min. pariter Dist. maj. Exercitium libertatis essentia-  
liter est motus ab intrinseco vel directus, vel indirectus, con. sem-  
per directus, neg. maj. Ad hoc, ut quid dicatur moveri ab intrin-  
seco, sufficit, quod a suo principio, a quo fieri vel non fieri li-  
bere potest, libere fiat vel non fiat, quod est indirecte moveri  
ab intrinseco; sicut ad hoc, ut quid dicatur voluntarium, juxta  
S. Thomam sufficit, quod sit in nostra potestate, ut fiat vel  
non fiat; nam etiam voluntarium requirit motum ab intrinseco,  
ut ex ipsa definitione illius constat.

Just. 1<sup>o</sup>. Pura omisio quia talis non indiget motu intrinseco, cum  
illa etiam dari possit sine isto. Ergo frustra dicitur indirecte move-  
ri ab intrinseco.

Resp. Dist. ant. Pura omisio quia talis precise, cujus nulla omni-  
no habetur advertentia, non indiget motu intrinseco, con. Pu-  
ra omisio ex advertentia rationis, ex libera electione, et ex  
indirecta saltem determinatione proveniens, non indiget  
motu intrinseco, neg. ant.

Just. 2<sup>o</sup>. Omisio, que habetur sine advertentia, et sine elec-  
tione, non differt nec est diversa ab ea, que habetur ex adver-  
tentia et electione. Ergo si illa non provenit a motu in-  
trinseco, neque hac ab eo proveniet.

Resp. Dist. ant. Non differt physice et in ratione omisio-  
nis precise, con. Non differt moraliter et in ratione omisio-  
nis libera, neg. ant. Per priorem homo semper manet idem,  
per posteriorem vero potest mutari, et ex Justo fieri peccator.  
Unde apparet diversitas inter utramque.

252. Argumentum 2<sup>um</sup>. Tunc non datur pura omisio libera,  
quando pura omisio non procedit a potentia libera. Atqui pu-  
ra omisio non procedit a potentia libera. Ergo p. Maj. patet  
ex dictis. Min. prob. Tunc pura omisio non procedit a poten-  
tia libera, quando non datur potentia ad puram omisionem.  
Atqui non datur potentia ad puram omisionem; nam poten-  
tia datur ad actum, non ad omisionem; ad hanc enim nulla  
opus est potentia. Ergo p.

Resp. Neg. min. Ad ejus prob. Dist. min. Atqui non datur po-  
tentia ad puram omisionem simpliciter, con. Ad puram omif-  
sionem voluntariam. neg. min. Ad omisionem ergo simpli-  
ter talem, seu quatenus precise omisio est, non requiritur  
potentia, cum illa possit haberi sine hac: sed ad omisionem  
voluntariam et liberam requiritur hujusmodi potentia, ut  
potest sine qua omisio nec voluntaria esset nec libera. Pra-  
terea in tantum omisio est libera, in quantum est a poten-  
tia agendi id, quod omittitur: ergo potentia libere omitten-  
di est simul potentia agendi, adeoque tam actus, quam omisio  
ab eadem libera potentia dependet.

253. Argumentum 3<sup>um</sup>. Sicut se habet potentia cognoscitiva ad

4. Col. p. 220



intelligere et non intelligere, sic se habet potentia volitiva ad agere et non agere. Atqui potentia cognoscitiva sic se habet ad intelligere et non intelligere, ut primum duntaxat dependeat à potentia cognoscitiva, non autem secundum. Ergo p.

Resp. Neg. maj. et parit. Disparitas est, quia potentia cognoscitiva est potentia necessaria; omnis autem potentia necessaria ad unum duntaxat contradictorium terminatur, ut patet in potentia visiva, auditiva, olfactiva, p. At vero potentia volitiva libera est, qua proinde in utramlibet contradictionis partem tendere potest; unde tam actus, quam non actus ab eà dependet.

Argumentum 10<sup>um</sup> Nunquam exercetur libertas, nisi quando potentia libera reducitur ad actum. Atqui hoc ipso, quod potentia reducatur ad actum, libertas non exercetur sine actu. Ergo p.

Resp. Dist. maj. Nunquam exercetur libertas, nisi quando potentia libera reducitur in actum vel faciendum vel omittendum, concl. nisi quando precise reducitur in actum solummodo faciendum, neg. maj. vel aliter Resp. trans. maj. neg. min. Nam tunc potentia libera dicitur redigi in actum, quando liberè exerceat id, cuius est potentia: Sed potentia libera non tantum est potentia ad agendum, sed etiam ad non agendum: ergo potentia libera redigitur in actum non tantum quando liberè agit, sed etiam quando liberè non agit; et consequenter potest libertas saltem indirectè exerceri, quin aliquis actus positivus à voluntate eliciatur.

Argumentum 11<sup>um</sup> Voluntarium liberum non potest salvari in solo actu primò, cum actus primus non minus sit principium involuntarii quam voluntarii. Ergo ad voluntarium necessariò requiritur actus secundus. Subs. Atqui implicat actus secundus voluntatis sine actu voluntatis. Ergo p.

Resp. 1<sup>o</sup> Cum actus primus nihil aliud sit, quam pura potentia, dico actus secundus erit exercitium hujus potentie: quoniam ergo ex dictis exercitium voluntarii liberi non solum in operatione sed etiam in omissione consistit, hinc etiam actus secundus non solum in operatione, sed etiam in pura omissione salvabitur.

Resp. 2<sup>o</sup> in formà. Dist. cons. Ergo ad voluntarium necessariò requiritur actus secundus, vel in operatione, vel in omissione consistens, concl. tantum in operatione consistens, neg. cons. Sic etiam Dist. Subs. Implicat actus secundus positivus et directus sine actu voluntatis, concl. omissionis et indirectus, neg. Subs.

Argumentum 12<sup>um</sup> Voluntas libera aliter se debet habere in actu secundo, quam se habuerit in actu primò, cum ipse actus secundus aliter se habeat, quam actus primus, cum ille sit pura potentia, hic vero exercitium potentie. Atqui per puram omissionem non aliter se habet in actu secundo, quam se habuerit in actu primò. Ergo p. Prob. min. Jam erat illa omisio in actu primò, quæ est in actu secundo, neque hæc diversa est ab

illo. Ergo per puram omissionem non aliter se habet in ac-  
tu secundo, quam se habuerit in actu primo; adeoque debet ali-  
quid positivum assignari, ratione cuius voluntas dicitur se aliter  
habere, et exercere suam causalitatem.

S. Coe. p. 24

Resp. Neg. min. ad ejus prob. Neg. ant. Nam omisio in actu  
primo nec voluntaria nec libera fuit, qualis tamen est in actu  
secundo; unde haec ab illa est moraliter diversa.

257. Argumentum 13<sup>um</sup>. Omne voluntarium vel est actuale, vel  
virtuale. Atqui neutrum potest esse absque actu voluntatis,  
nam actuale per se includit actum voluntatis, et virtuale fun-  
datur in actuale. Ergo p.

Resp. Neg. min. ad ejus prob. Resp. Voluntarium actuale di-  
rectum et in operatione consistens per se includere actum vo-  
luntatis, non vero voluntarium actuale indirectum, quod per  
solum omissionem habetur.

258. Argumentum 14<sup>um</sup>. Pura omisio actus precepti vel est  
peccatum, vel non est peccatum: si non est peccatum,  
tunc non est solo defectu voluntari; nam voluntaria omis-  
sio actus precepti est peccatum. Si autem est peccatum,  
vel est originale, vel actuale, istud enim dicitur ab actu.  
Ergo pura omisio actus precepti semper erit cum actu.

Resp. Talem omissionem esse peccaminosam, et reduci ad  
peccatum actuale. Rationem contrariam Dist. Peccatum ac-  
tuale dicitur ab actu vel facto, vel omisio, con. dicitur sem-  
per ab actu facto, neg.

259.

S. III.

Verior sententia eligitur.

Prima sententia subscribimus, quia magis est de mente S. Tho-  
ma. Ambo enim ejus testimonia argumento 1<sup>mo</sup> relata ita  
sunt efficacia, ut vis eorum per subnexam responsionem neu-  
tquam infirmetur. Nam

Contra eam est, quia S. Thomas, postquam in 2. sent. dist. 35.  
q. 1. a. 3. retulisset sententiam aliquorum dicentium, quod in  
peccato omissionis semper oporteat aliquem actum esse, sic ait:  
Haec opinio non videtur necessitatem habere, cum enim volun-  
tas libera sit, nec ad aliquid faciendum vel non faciendum  
determinetur, potest hoc modo protermittere aliquid, quod  
ejus contrarium non velit, nec de ejus contrario cogitet, nec  
etiam de aliquo alio, quod sit per se impedimentum ejus,  
quod facere tenetur. Vult ergo S. Thomas, quod non sit  
necesse ad hoc, ut ~~omnis~~ omisio sit voluntaria, ut ponatur ali-  
quis actus etiam solum per modum causa et occasionis; atque  
adeo non subistit responsio.

Obiter in 2. ad Annibald. dist. 35. q. unic. a. 2. ad 2. sic ait  
omisio non de necessitate voluntaria dicitur propter volunta-  
tis actum; sed propter hoc, quod in voluntatis potestate con-  
sistit. Atqui iuxta adversarios tantum esset voluntaria prop-

ter quemdam voluntatis actum, scilicet propter actum, qui se habeat per modum cause et occasionis omittendi. Ergo p.

Contra responsionem ad Argumentum 2<sup>um</sup> est 1<sup>o</sup>. Quia volun- 260.  
tas non solum libera est libertate contradictionis in actibus exter-  
nis, sed etiam internis, ut docet S. Thomas, supra laudatus. Ergo ita  
potest omittere actum amoris, ut nullum exerceat actum volunta-  
tis; alioquin si necesse sit actum huiusmodi internum elidere, hoc  
ipso non erit libera libertate contradictionis in suis actibus inter-  
nis.

Contra est 2<sup>o</sup>. Voluntas humana est libera per ordinem ad quem  
libet actum humanum; consequenter potest in oppositum  
contradictorium cuiuslibet actus humani fieri. Atqui opposi-  
tum contradictorium cuiuslibet actus humani est pura omissio.  
Ergo voluntas, quatenus est libera libertate contradictionis,  
potest in puram omissionem fieri.

Contra responsionem ad Argumentum 3<sup>um</sup> est, quia ex men- 261.  
te S. Thomae, praesertim cit. q. 71. a. 5. omissio taliter est volun-  
taria et libera ratione sui, quod actus voluntatis per acci-  
dens se habeat ad illam. Cum, inquit, per accidens, et pre-  
ter intentionem ex causa vel occasionis circumstantia pec-  
catum omissionis sequi contingat, iudicium autem de rebus  
secundum illud, quod est per accidens fieri non debeat; verius  
dici potest aliquod peccatum absque omni actu esse posse;  
alioquin enim ad essentiam aliorum peccatorum actuali-  
um pertinerent actus et occasionis circumstantes, at-  
qui si actus voluntatis esset, quod connotatum et praerequisitum  
per se et essentialia ad omissionem voluntariam, tunc non posset  
dici per accidens se habere ad illam, sicut nemo dicit, quod inten-  
tio se habeat per accidens in ordine ad electionem vel principium  
ad actum vitalem, p.

Secundo si actus voluntatis est quod  
connotatum et praerequisitum per se et essentialia ad omissionem  
voluntariam, et tantum per accidens se habet ad illam, tunc male  
diceret S. Thomas, quod omissio voluntaria possit esse absque omni  
actu, sed potius oppositum dici deberet. Contra vero dato,  
quod omissio voluntaria esse nequeat sine actu, qui ei conjun-  
tur per accidens, tunc hoc ipso recte infertur veritatem esse senten-  
tiam nostram, necnon ad mentem et doctrinam S. Thomae ma-  
gis conformem: Nam adversarii dicunt, quod repugnet dari  
voluntarium sine actu, seu dari puram omissionem; quia  
in omissione voluntaria semper intervenit causa vel occasio  
omittendi; è contra S. Thomas docet, quod, licet ex causa vel  
occasionis circumstantia peccatum omissionis sequi contin-  
gat.... nihilominus verius dici potest aliquod peccatum abs-  
que omni actu esse posse. Ergo p.

Contra responsionem ad Argumentum 4<sup>um</sup> est, quia ex 262.  
nulla parte haec apparet implicatio: nam ea vel esset ex  
parte objecti, vel ex natura ipsa voluntatis, quod absque actu

G. Col. p. 222

esse nequit: non ex parte objecti; quia nullum objectum in particulari necessitat voluntatem ad exercitium actus, nisi solus Deus clarè visus: non ex natura ipsa voluntatis; quia voluntas non minus est libera ad non operandum, quam ad operandum, ergo, quantum est ex natura ipsius voluntatis, poterit ipsa ab omni actu cessare. Præterea si voluntas necessitaretur ab intrinseco seu ex propria natura, tunc hoc ipso necessitaretur ab auctore natura. Atqui Deus non necessitat voluntatem ad causam vel occasionem peccandi. Ergo p.

263. Denique contra responsionem ad ultimum Argumentum est; quia, quamvis voluntas simul occupetur in aliquo actu, quando omittit actum præceptum v.g. dilectionis, fieri tamen potest, quod ille actus omnino sit disparatus, et cum actu præcepto nullam habeat incompatibilitatem; quò casu solùm materialiter se habet ad omissionem, atque illius causa aut occasio esse nequit. Sic in casu, quò Sacerdos v.g. videns aliquos submergi, ipsos absolvere negligit, aspectus submersionis eorum non est causa vel occasio omissionis, cum utraque sit composibilis cum actu opposito. Ergo saltem in tali casu omissio voluntaria et peccaminosa creditur à voluntate sine aliquo actu, ratione cuius dici possit voluntaria; consequenter erit pura ommissio.

Neque dicas, in hoc casu non deesse aliquem actum internum voluntatis, amorem scilicet boni propii, ratione cuius voluntas omittit actum præceptum; quia voluntas in suo libero exercitio egredi limites sui objecti, quod est bonum.

Nam contra est; quia hoc quidem probat, quod Sacerdos huiusmodi omissionem apprehendere debeat ut bonam, et per eam transferri à statu indifferentia ad exercitium omissionis, quod fieri potest absque eo, quod aliquem actum positive eliciat; ad hoc enim plus non requiritur, quam ut in tali homine dominetur philantia per modum habitus.

#### Exercitatio XV.

De Auctoritate Ecclesie in definiendis questionibus facti, an videlicet fallibilis sit vel infallibilis.

Ad c. 3. §. 2. n. 232. Tract. 3. Tom. 1. Theol. Univ.

In hac Exercitatione utilem à Theologia Candidato necessariam exhibemus ideam, quid nempe circa definitiones aut Constitutiones Ecclesie in questionibus facti sive à Conciliis œcumenicis, sive à Romano Pontifice emanatas sentiant Doctores.

#### §. I.

Quadam pro maiore eorum omnium, quæ circa hanc questionem proponi solent, intelligentiâ præmittuntur. Sciendum est; quod questiones, quas Ecclesia suo iudicio definire potest, duplicis esse generis, nempe Juris et facti. Questiones, Juris apud Theologos dicuntur ea, in quibus attenditur præcise

7. Col p 223.

5 \* Hic addere placet ea, quæ de hac controversiâ in Theologia nostra 264. cit. c. 1. §. 2. n. 55. Tract. 1. Tom. 3. attenuimus in hæc verba: Hæc etiam pertinet jejuna et sterilitas quæstio, quam movent aliqui; an videlicet possit dari ommissio pura, quæ tamen libera sit? Sed phylotopica hæc quæstio tempore nostro ob-265 tunc non debet. Satis est Theologo circa eam scire, quod ea hæc thesi, quod de-266 tur talis pura ommissio